

7. *Sensus paupertatis spiritualis* est experimentalis illa de corruptione ac indignitate nostra naturali convictio, partim e mali reliquiis, partim e boni defectu exorta, quæ inordinato amori nostri ita obstat, ut, ab eius impugnatione nunquam remittens, reliquas virtutes Christianas omnes vera animi demissione nobilitas commendet.
8. Quandoquidem paupertatis spiritualis sensus animum secundum legem solet deprimere & ab evangelio avocare, eidem ea opus est *erectione*, quam præstat fiducia evangelica, docens, hominem evangelii eo esse & egentiolem & capaciorem, quo major iste indignitatis sensus est.
9. *Fidenter coram Deo ambulare*, est ita versari in omni præsentia divina obtutu, ut affectus erga Deum angelicus & filialis requirit. Id quod apud sanctos patriarchas totius vitæ, cum sanctimoniam studio conjunctæ, erat centrum, commendatum solenni illo *התהלך את האלהים* Gen. V, 22, 24. c. VI, 9. c. XVII, 1.
10. *Plenitudo Christi* est infinita illa perfectionum divinarum copia, qua humana ejus natura per unionem cum divina hypostaticam uncta est, vi meriti ejus ratione nostri in bonorum gratia, satisfactione acquisitorum, communicationem exuberans.
11. *Fides* est partim *organica*, partim *effectiva*. Fides organica est spirituale illud animæ regenitæ organum, ab ipso Deo acceptum, quo Dei gratiam, merito Christi fundatam, cum omnibus gratia bonis ac dotibus salutariter agnitam quam avidissime, & tanquam haustro aliquo, appetimus & nobis applicamus.